Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26123
Copyright: Admont, Benediktinerstift

presumpserit · si ex ipsorum sacrorum traditione commemorauerit.
Numquid & varro uel tamquam poeta fingit · uel tamquam achademicus dubie ponit · quod dicit talium deorum sacra ex cuiusque eorum uita uel morte qua inter homines uixerunt uel obierunt · ee composita? Numqd & leonilla sacerdos egypti poeta uel achademice fuit? qui macedoni alexandro diuersam quidem a grecorum opinione istorum deorum originem uerum tamen ita producit eos homines fuisse declarat? Si quid ad nos? Dicant se iouem hominem mortuum colere · nec hominis mortuo capitolium dedicasse · si spiritum uiuificantem · omnia · quo mundus impletur · & secutum eum in honore nutricis ei factum de pelle capina interpretantur uolunt? quid dicunt de saturno? quem saturnum colunt?
Nonne ille e qui primum ab olympo uenit · arma iouis fugiens · & regnis exul ademptis · qui gentem indocilem & dispersam montibus altis composuit · legesque dedit · latium que uocari maluit · his quem latuisset in oris? Nonne ipsum ei simulachrum quod cooperto capite fingitur quasi latentem indicat? Nonne ipse italus ostendit agriculturam · quod falcem demonstrat? Non inquiunt. Haud uideris si fuerit ille homo rex quidam de quo ista narrantur. nos tamen saturnum interpretamur uniuersum tempus · quod grecum etiam uocabulum ei ostendit. Vocatur enim cronos. quod aspiratione addita etiam temporis est nomen. Vnde & latine saturnus appellatur · quasi saturetur annus. Quid ita cum istis agendum sit nescio. qui conantes in melius interpretari nomina & simulachra dorum suorum · fatentur maiorem deum simuo & patrem ceterorum tempus ee. Quid enim aliud indicant · quam omnes deos suos temporales ee · quorum patrem ipsum tempus constituunt? Erubuerunt hinc philosophi eorum recentiores platonici qui iam xpianis temporibus fuerunt · & saturnum aliter